



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Procemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)



D E
NATURA PERFECTIONIS
 VITAE SPIRITUALIS
 LIBER TERTIVS.

Proœmium.

HACTENVS huius operis fundamenta iecimus, dum religiosa corda ad vitæ spiritualis amorem alleximus, & ipsius vitæ naturam, & partes exposuimus: æquū est iam, vt perfectionem docendo, & præsidia ad eam consequendam aperiendo, ædificationis molem extruamus. Huius ædificij culmē, quod reliqua omnia complet, ornata, atque consummat, sancta perfectio est, sine qua, templum Dei sanctum, quod (affirmante Paulo) sumus nos]ceptum tantum, ac semifactum, non absolutum, neq; elaboratum manet. Ab hoc autem culmine (post fundamenta iacta) sumendum est nunc nostræ disputationis exordium, quoniam ex illo, qualis structura spiritualiū operū futura sit, clarè manifestèque cognoscitur. Est enim perfectio, non solum velut rectum totius vitæ spiritualis, quam, vt pulcherrimam domum regi sæculorum construimus, sed etiam scopus, & finis omniū religiosarum actionū, in quem omnes cogitationes nostras, omnia desideria, & omnes mentis conatus ordinamus. Quare, licet, vt rectum, siue culmen totius fabricæ est, post factos circumspæctionis parietes, post columnas stabilitatis erectas, post distincta mortificationis atria, & virtutum tubicula, post superposita internæ quietis cænacula, sit in opus producenda: tamen, vt scopus & finis est, ante omnia virtutis studia, peruidenda est & consideranda. Finis namque (vt summus philosophus, non minus breuiter quam veraciter ait) in consultationem nõ cadit,] sed eo in principio cuiusque operis cognito, & intento, de his, quæ ad finem consequendum conferunt, deliberamus, & consultationem efficitur. Atque ad eum finem, qui assecutione posterior est cognitione, & intentione mentis semper est prior, primo scilicet loco perspicendus, & ante omnia, quæ ad eum assequendū vitia sunt, profunda mentis attentione considerandus. Quemadmodū ergo, qui itinerti, aut nauigationi, se ipsos dare constituunt, prius sciāt necesse est, quò tendant, & in quem locum, aut vrbem proficiscantur; ne si absq; cognito fine iter carpāt, aut cursum maris arripiant, vnde requiēt, & securitatem accipere debuissent; inde maiora pericula, & labores accipiāt: Ita iusti, qui spiritualem vitam, atque æternitatis itinera ambulare decernūt, oportet in principio horum itinerū finem, & scopum, scilicet perfectionem agnoscat; ne post multas preces, post multas vigiliis, atq; ieiunia, post multos annos in religiosa vita consumptos, se sanctitatis pauperes videāt, & minimè pretiosam puritatis gemmā (quā

1. Cor. 3.

Arist. 3. ethic. 3.

quæritabant) inueniant: Idcirco Ioannes Cassianus sapientissimus rerum spiritualium magister, à monachi destinatione, & sine, spiritualia patrū colloquiā exorsus est, quia videlicet, ignorato totius vitæ spiritualis fine, aut mentis oculis nõ semper obiecto, necesse est religiosum, tamquam in multa dispersum, huc atque illuc diuagari. Verissimè enim ait egregius omnium religiosorū præceptor. Hac nobis destinatione proposita (& loquitur de monachi scopo) semper actus nostri & cogitationes ad eam obtinendam rectissimè diriguntur. Quæ, si præ oculis nostris iugiter statuta non fuerint, nõ solum cunctos labores nostros, varios pariter, atque instabiles reddens, incallum eos, atque sine vilo emolumento compellet effudi, sed etiam cogitationes omnes diuersas, sibiq; contrarias suscitabit. Necesse est enim mentem, quò recurrit, cuiue principaliter inhæreat, non habentē, per singulas horas atque momenta pro incursum varietate mutari, atque ex his, quæ extrinsecus accidunt in illum statū continuò transformari, qui sibi primus occurrit.] Sic ille scripsit, animaduertens quanti referat vitæ spiritualis Doctores in principio huius doctrinæ celestis perfectionem docere, & discipulos eandem cogitatione apprehendere, ne in incertum currant, & scopum suorum laborum ignorantes se ipsos sine fructu, aut eum paruo emolumento deseruiēt. Eandem viam sanctissimi & illustrissimi patres Basilius, Augustinus, & Benedictus sūt ingressi: Nam illi in suis ad monachos præceptionib; & hic in sua regula, post prælati eruditionē, à charitate, id est, à perfectione auspiciati sunt. hanc sæculo renunciantibus præfigentes, ad quam assequendam vniuersas actiones dirigāt, quicquid ad eius adeptiōnem iuuat, amplectātur, & quidquid ab ea retrahit, licet primo aspectu, aut vile, aut pulehrū videatur, vt perniciosum noxiūque deuitent. Quin & ipse Basilius, an ordo sit in mandatis Domini interrogatus, intrepidè ait, non sine ordine Dominum virtutum actus functionesque mandasse. Nam cū interrogationi de primo legis præcepto respondisset, primum præceptum esse. Diliges Dominū Deū tuum ex toto corde tuo,] apertè monstrauit se, qui ordinis amator est, & confusionis odor, non cõfuse, nec perturbatè in promulgatione legis processisse. Ex quib; verbis (inquit) sine dubio illud apparet, statuisse Dominum ordinem in mandatis suis, quippe qui primum illud, ac maximum esse mādatum pronunciauerit, quod est de charitate aduersus Deū. (Hoc autem præceptū, vt postea dicemus perfectionis præceptū est,) quare, & auctoritate Domini, cui docedo

Cassia. col. 1. c. 4.

B

C

D

Matt. 22.

Basili. reg. fus. disp. ad inter. reg. 1.

alios,

alios, volumus obsequia rationabilia maclate, & sanctorum exemplo, qui ex instituto religiosos instituerunt, & ratione valida permouemur, ab ipsa vite spiritualis perfectione, huius mystici edificij structuram exordiri.

Quantum autem momenti sit perfectionis doctrinam cognoscere, in ipso vite spiritualis initio, ille solus intelliget, qui & in vnaquaque doctrina ordinis necessitatem calluerit, & miserabiles errores illorum qui sine perfectionis noticia itinera virtutum arripuerunt, attenta meditatione perspexerit. Omnes quidem disciplina, omnes artes ordine gaudet, & ex certis quibusdam principijs ad pronuntiata, siue conclusiones procedunt, & suis finibus, ac limitibus terminantur, extra quos progredi, aut exire non datur. Animalia diuersis partibus, ac membris, mirabili ordine, ac collocacione dispositis inueniuntur composita, neque vllus acerbior est dolor, quam cum os locum suum deserens, alienum occupat, & terminum transiit sibi a natura concessum. Mundus ipse non tam creaturarum rerum est congeries, quam ipsarum exquisitus ordo, ornataque descriptio. Quae tu a Deo, tum per Deum gubernatur, in quo rudiora, & imperfectiora deorum, subtiliora & perfectiora sursum collocantur, inferiora superiorum natu reguntur, & vniuersa nexu ordinis copulata, non solum eximia pulchritudine decorantur, sed etiam quadam perpetuitate consistunt. Siquidem (vt scite dixit Athanasius) omnia etiam nunc consistunt, quia non inordinatio, sed ordo est in omnibus, neque immodestia, sed modus; neque rudis indigestio, sed mundus, qui nihil aliud est, nisi congruens vnde cumque dispositio. Tandem non est res publica, non regnum, non ciuitas, non domus, quae ab ordine non pendeat, & quae sine ordinis adiumento subsistat. Sic ergo spiritualis vita, caelestique doctrina, qua seruimus Deo, & vere sapientes sumus, ordinem partiumque suarum dispositionem habeat, necesse est ita scilicet, vt ab aliquo principio incipiat, & ex illo, non ad nudam, & sterilem cognitionem, sed ad vtilem, & fecundam actionem procedat, & aliquem finem, atque terminum sui laboris agnoscat, quem tunc profecto adeptus erit, quando videbimus Deum. Deorum in Sion principium autem in rebus, quae sub operationem cadunt (vniuersa Philosophia attestante) est ipse finis, ac scopus, in quem diriguntur. Nam iste scopus cogitatione praevius, & mente comprehensus est, qui ad agendum mouet, ad operandum instigat, & ex eo, tamquam ex generali quodam principio veniamur, quid factu opus sit, quid vero fugere, ac declinare oporteat. Corporis enim incolumitas, quam omnis ars medica scopum sibi praefixit, est principium mouens Medicinae peritum, vt ea corpori adhibeat, quae paranda valetudini, & incolumitati optima iudicat, & ea procul amoueat, quae morbum augent, aut incolumitati quoquo modo possunt officere. Et eadem ratio est de victoria in rebus bellicis, de dignitate in praesentationibus, de diuitiarum possessione in mercimonijs: Haec quippe, quae harum artium aut occupationum sunt fines, post multas curas, & labores assequendi, sunt etiam principia earundem occupationum, aut artium ante omnia peruidenda, & meditanda, vt eisdem adipsiscendis omnia agenda, & quaerenda respondeant. Spiritualis igitur doctrina, quam toto hoc opere tradere instituimus, perfectio, & sanctitas, quae est finis, eadem & principium est. Eam ergo primo loco religiosorum oculis obiciamus, vt sciant, quod suas cogitationes debeant dirigere: quod sua desideria, suosque vniuersos labores in torquere. Haec enim est sanctitas, quam rerum tempo-

Arist. lib. de mundo c. 2.

Anath. orat. contra idola post medium.

ralium inedia, & affectuum purgatione, & virtutum medicamentis recuperare contendimus. Haec victoria, cuius gratia spiritualibus armis induti cum fastuoso mundo, cum astuto demone, & cum improba carne pugnamus. Haec incomparabilis dignitas, ob quam obtinendam regis regem amplissimam curiam sequimur, & magnatum, hoc est, sanctorum, & angelorum fauorem ambimus. Haec tandem maximarum diuitiarum possessio, quam, vt mercatores industrij venditione rerum terrenarum, & caelestium donorum emptione paramus. Ab ea quidem incipiendum est, vt ordinem in spiritu doctrina tenentes, vltimum finem nostrum (qui Deus est) non vltimaque, sed ingenti profectu, & magnis metibus, assequamur. Huic enim ordini optime congruit, quod Augustinus quodam loco ait. Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum, & quem nisi tenuerimus in vita, non peruenimus ad Deum. Nam omnes iusti hunc ordinem in vita tenent, vt saltem quasi occulte, & in virtute (vt Theologis loqui mos est) aliquem perfectionis haulum concupiscant. Sed interest maxime eam clare, & quasi ex facie cognoscant, vt desiderium vehemens ex tanta pulchritudinis notione conceptum acrius ad laborandum moueat, & efficacius ad eius assecutionem impellat. Quae perspicue conspecta, attentaque considerata, ita mentes insipientium capiat, ita voluntates inecat, vt quisque eorum cum ingenti asseueratione dicat: Praeponi illi regnis, & sedibus, & diuitiis nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum, quonia omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum aestimabitur argenteum in conspectu illius. Super salutem, & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam, quonia inextinguibile est lucus illius. Proposui, inquam, pro luce habere illam, vt scilicet ipsa me dirigat, ipsa me de rebus agendis, aut cauendis edoceat, ipsam, hoc mare magnum, & spatiosum vite spiritualis enauigans, tamquam splendidissimum pharum aspiciam.

Qui vero in hanc perfectionis lucem interiores oculos non intendunt, quantis scopulis, & syrtibus pateant, non est facile breui sermone complecti. Nam sine proposito vite termino in spiritualibus itineribus oberrantes, necesse est in casum laborare; & sicut Ionam, qui fugit in Tharsis, id est, in mare, vt interpretatur Hieronymus, non portum tenere, sed procellosam ac squam tempestatem incurrere. Quorundam videas continuis ieiunijs, ac immoderatis vigilijs ora pallefcere; aliorum corpora ex assiduitate cilicij, & asperitate flagrorum vulnera tolerare: Ille iugi rerum caelestium meditatione caput infregit; ille exterarum rerum, licet bonarum, cura mentis vires exhaustit; alius sola vtilitatis alienae specie deceptus, in proximorum usum, aetatem vitamque consumpsit, qui tamen quod ad mentis puritatem attinet, cohibitionem passionum, adaptionem humilitatis, mansuetudinis, aliarumque virtutum modicum profecerunt; quia haec licet bona & prudenter suscipienda, propter seipsa profecerunt, & non tamquam instrumenta virtutis ad perfectionem captadam, & abolutissimam Dei: ac proximi charitatem assequendam ordinauerunt. Quam si ieiunijs, si vigilijs, si cilicij, & flagris, si meditatione, si operibus misericordiae, si animarum ministerijs quaesiuissent, non tantam solidae virtutis mendicitatem paterentur, non tanta passionum suarum molestia affligerentur, non tantam puritatis & charitatis paupertatem sustinerent. Liceat nobis dicere similes eos esse fabro ferrario, qui fornacem, in eadem, malleos, limas, & reliqua instrumenta huius artis, magna diligentia coquunt, & nullum

Aug. lib. 1. de ordine c. 9.

Sapient. 7.

1. Ion. 1.

ferraria artis opus exercuit, numquam ignem folli-
bus iussit accendi, numquam seruum in fornacem
iniecit, numquam assiduis percussionibus emolliuit.
Sic prorsus isti silentium, paupertatem, ieiunia, vi-
gilias, humicubationes, preces, psalmodias, me-
ditationes, & alia perfectionis instrumenta compa-
rarunt, quibus tamen duritiem proptij cordis non
curantes emollire, & ad igneam charitatem, & ama-
bilem puritatem reuocare, semper tamquam ferè
nihil efficientes imperfecti persistunt, nec periti hu-
ius (qua Deo seruiendum est) sanctissimæ artis eua-
dunt. In cassum enim (vt Cassianus egregie ait) hæc
exercitia molietur, quisquis his, velut summo bono
contentus, intentionem sui cordis hucusque defixe-
rit, & non ad capiendum finem, propter quem hæc
appetenda sunt, omni conatu, semet extenderit, ha-
bens quidem disciplinæ illius instrumenta, finem
verò, in quo omnis fructus consistit, ignorans.] Hoc
igitur detrimentum magnum quidem, ac tremen-
dum, & viros spirituales sollicitos reddit, vt in suæ
cõuersationis initio disciplinam perfectionis, quam
continuis laboribus, assiduis precibus, & lacrymo-
sis gemitibus post longa temporis spacia adepturi
sunt, non oscitantes inquirant, & nos huius diuinæ
artis imperitos discipulos, qui ea, quæ in viris per-
fectis vidimus, & in libris sanctorum Patrum legi-
mus, & proptiâ infirmitatis experientia didicimus,
in vnum volumen congerimus, manifestè compellit,
vt non ab alio quam à fine, qui notione debet
esse prior, licet operis executione posterior, id est,
ab ipsa perfectione, ac mentis puritate scribere inci-
piamus.

Doctrinam autem perfectionis tradituri non
possimus non timere, & ingenti horrore contrem-
miscere, quippe qui viam aliis monstramus, quam
numquam ambulauimus, scientiam edocemus,
quam necdum acquisiuimus, & sanctitatem ipsam,
non vt decebat, exponimus, sed impolitâ sermo-
nibus obscuramus. Timeo ego peccator miserri-
mus, ne dicat mihi Dominus: Quare tu enarras ius-
titias meas, & assumis testamentum meum per os
tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti ser-
mões meos retrorsum,] qui disciplinam religio-
sam sapissimè prædicando, & numquam exactè
custodiendo, procul abieci, & sermones Domini
non admitendo, quibus quotidie reprehendor, &
ad nouam vitam inuitor, procaciter, & inuerecun-
dè conculcaui. Timeo ne ab Angelis & Sanctis ir-
ridear, quorum patrocinium sapissimè ad libros
edendos imploraui, si videant me, quæ scripsi, quæ
docui, quæ prædicauimus, numquam fecisse, neque ex
perfectionis thesauro, quem aliis ostendi, mihi ipsi
saltem aliquid modicum reseruasse. Sicut enim ri-
dendus esset, imò & maxime desendus, qui ditissi-
mum thesaurum inueniens, nihil in suæ indigen-
tiæ leuamen acciperet, sed omnia aliis accipienda,
& possidenda monstraret, ita & ego, qui pretiosissi-
mum perfectionis thesaurum, assidua meditatione
cognoui, aliis manifestans, & mihi ipsi operationis
manu non recondens, risu, & fannis legentium, &

Audientium exponor. Timeo denique, ne pulcherrimam
sanctitatis margaritam cæno impolitorum ver-
borum, & stultarum sententiarum inficiam. Nam
verba disertâ, copiosâque sententias, quæ perfectio-
nem explicant, humana eloquentia non parit, (qua
etiam me prorsus carere profiteor) sed verè virtutis,
ipsiusque perfectionis experientia progignit. Cuius
expertem facile erit in tam dignissimæ materiæ tra-
ctatione errare, & labi; difficile verò disertè loqui, &
punctum veritatis attingere. At scribendum est, &
metus omnis seponendus, quia amor huius pul-
cherrimæ margaritæ, quæ iustos exornat, terram sul-
tentat, & cælos ciuibus replet, timorem abigit, & ad
perseuerandum in cæpto labore compellit. Amor
iste, qui omne quod amat, mille rationibus hono-
stat, mille pretextibus excusat, mentis auribus in-
culcare non cessat, me, in hoc opere, non magistrum
perfectionis agere, sed munus excerptis assame-
re; nam quæ sancti Doctores literis tradiderunt, &
viri perfecti, quibuscum à teneris annis sum con-
uersatus, & verbo, & exemplo docuerunt, in hos li-
bellos ad meam consolationem congero, & ad alio-
rum vtilitatem humili & incompta oratione coar-
ceruo. Nec puto me ob laborem istum à Sanctis, &
Angelis irridendum, sed magis cõpassione, & mis-
ericordia dignandum, quem vident scribentem, & lu-
gentem, disponentem, & cupientem, explicatè
perfectionis diuitias, & eas assiduis precibus, & im-
portunis gemitibus flagitatem. Quod si ad dignè lo-
quendum de spiritualibus rebus (ait amor iste) expe-
rientia est necessaria, ad eam (qua sine dubio cares)
sanctorum Patrum sententiæ supplebunt, aliorum
virtutes sapissimè conspectæ, docebunt, & continua
desideria iuuabunt. Cæptum igitur opus persequear,
& Prælati iubentibus obtemperans, & desiderio
laudandi perfectionem satisfaciens, & Dei miseratio-
nem implorans. Lectores autem obnixè rogo, vt si
quid in tam sublimis materiæ tractatione peccatum
fuerit, & meæ ignorationi attribuât, & benignè par-
cant: Si quid verò aptè, & congruenter dictum fue-
rit diuinæ sapientiæ, & bonitati, ora insipientium ape-
rienti, totum ascribant. Et (vt verbis sancti Patris
Ephrem vos beneuolos lectores alloquar, qui præ
vestra modestia inscij scriptoris sententiæ euoluitis.)
Respyite hominem, qui verbo imperfecto, virtutis
perfectum exprimat simulacrum: studium ac bonâ
voluntatem agnoscite, & ignorantie parcite, imperi-
tiam agnoscite, & studiū ne reiciate. Et quia ex pau-
pertate mea, vobis, quod potui, libenter dedi, vos ex
diuitiis vestris, preces, & paternæ charitatis mu-
nera, nobis abundanter rependite.] Ego, quamuis
inops diuitibus mutuam dedi, non sortem volo, sed
fœnus repeto, non laudes, sed preces deprecor, non
mercedem, sed mutuam beneuolentiam exigo.

Hoc, quod humillimus Ephrem de seipso
conscriptit, ego miserimus, & à
vera virtute alienissimus,
iure optimo mihi
assumo.

* * *

Cassian.
col. 1. c. 7.

Psal. 49.

Ephrem
de diuina
gratia.